





# DECANUS SENIOR ET COLLEGIUM FACULTATIS THEO- logicae in Acad. Lipsiensi.



**I**nter cetera eximia DEI beneficia & dona, quibus JESUS CHRISTUS Episcopus animarum nostrarum, die gloriosa suae ascensionis in caelum, Ecclesiam suam exornavit, haud postremum est, quod dona à DEO Patre accepta inter homines distribuit, alios constituendo Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, alios Doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad aedificationem corporis sui, Ephes. 4, 11, 12. Neq; enim Dominus Ecclesiae suae curam abiecit, & in caelum assumptus caelestia tantum curat: Sed memor sanctae promissionis suae: Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem saeculi, Matth. 28, 20: & ipse praesentissime, invisibiliter tamen nobis adest, & per ministros Verbi & Sacramentorum visibiliter nobiscum agit, donec in virum perfectum, ad mensuram staturae ipsius plenissimam evadamus. Et si verò, si rem accuratius expendimus, nec tot, nec tanta donorum & ministrorum varietas, qualis in primitiva Apostolorum Ecclesia conspiciebatur, hodie inter nos deprehenditur: Pastorum tamen & Doctorum ordo semper in Ecclesia DEI remansit, Pastores Parochos dicimus, qui Ecclesiae concionando, Sacramenta administrando, & sancta quadam disciplina regendo inserviunt. Doctores in primitiva Ecclesia κατηχηται vocabantur, in hanc curam incumbentes, ut ὁμοῦ πᾶσι sanctorum verborum praescriberent, fundamenta doctrinae ex scripturis erueret, pastoribusq; imitanda proponerent. Hodie Professores Academicorum Doctores merito salutamus, qui capita doctrinae Christianae ex libris Prophetis & Apostolicis certa forma tradunt, commentariis utilibus illustrant, & Disputationibus accuratis confirmant. Non raro autem evenire solet, ut unus & idem propter egregias animi dotes, Pastoris & Doctoris munere in Ecclesia fungatur: ad neutrum tamè sine legitima vocatione, & publico testimonio eorum, quibus ab Ecclesia id demandatum, proruendum est. Quid enim quantumq; momenti in eo situm sit, ut scilicet legitima vocatione & publico testimonio bonorum gaudeat, exemplum incomparabilis Doctoris B. Martini Lutheri satis superq; monstrat; imò initium hoc Reformationis exoptatissima fuit, cuius annum primum saecularem Ecclesia Christi magno cum gaudio & exultatione Spiritus huius diebus celebravit. Anno enim supra Millesimum quingentesimum duodecimo in Academia VVitebergensi, promotore Andrea Bodenstern Carolostadio, ad diem XIII. Octobris S. Theologiae Doctor publicè renunciatus fuit, simul juramento obstrictus, ne vanas, peregrinas doctrinas, ab Ecclesia damnatas, & piarum aurium offensivas dogmatifaret. Huic sponcioni dum satisfacere studet, & scripturam nocturnam diurnaq; manu versat, tenebras & errores regni Pontificij advertit, detegit, & religionem multis modis obscuratam pristino nitore restituit, Fatetur hoc ipsum & ad Doctoratum suum masculè provocat in responso ad edictum Imperatoris Anno 1531, sic scribens: Ego Doctor Martinus ad id sum vocatus, & coactus, ut gradum Doctoratus assumerem, ubi in sacrosanctam scripturam iuravi & promisi, quòd eam fideliter & purè sim docturus, quòd dum facio Papatus mihi inopinanti resistere cepit, & c. Et super Psalm 82. Anno 1530. Tom. 5. Jen. Germ. fol. 157: Quicquid incepti, ex potestate Pontificis & Imperatoris Doctor Ordinarius & legitime vocatus, oportet me usq; ad extremum vitae halitum fateri, neq; jam tacere possum, quantumvis vellem, & c. Quae animosa Megalandri Lutheri ad Doctoratum provocatio, quem etiam toto mundo cariorè estimavit, ansam & occasionem praeiuit Reverendis & Clarissimis viris DN. L. JOHANNI SCHREITERO Annabergensi, Episcopatus Misnensis VVurtz. enae Superintendenti, DN. L. ANTONIO THÖRMERO VVeissenssenssi, Ecclesiae eius loci Pastori & Superintendenti, DN. L. HENRICO HÖPFNERO Lipsensi, S. Theologiae in hac Acad. Professori publ. & stipend. Elector. Ephoro, ut in ipsa Jubilaei Evangelici festivitate Academica honorum in Theologia summorum, gradum Doctoratus vocant, collationem à nobis peterent, eòq; facilius impetrarent. Cum enim antehac (paucis ut multa dicamus) deprehensi fuissent, ea exquisita doctrinae praestantia, ea animi pietate, & totius vitae integritate valere, qua in Doctore & Pastore Ecclesiae requiritur, non solum ad officia in Academia & Ecclesiis summa legitime vocati, sed etiam ad gradus honorum Academicorum petendos facile admissi, nuperrimè verò licentia sive potestas assumendi in Theologia gradum Doctoralem illis benignè concessa fuit. Et quia, Apostolo teste, legitime certanti corona debetur, Viris huius in militia Christi probè exercitatis honores honestè petitos, & juste à nobis decretos, sub auspiciis SS. Triados, ad diem VI. Novembris, solenni & recepto more conferemus. Ad cuius actus solennitatem omnium ordinum Cives Academicos, Proceres cum primis, Professores & Collegas nostros honorandos per amantèr & officiosè invitamus: majorè in modum rogantes, ut ad praedictum diem Hora VII. in templo edis Paulinae compareant, & non solum pro fideli Doctoris Martini Lutheri ministerio devotas agant Deo gratias, sed & pro felici priorum in Doctoratu successorum incremento supplicent, ac preces suas cum votis nostris pro salute Ecclesiae, purioris caelestis doctrinae ante saeculum feliciter restituta & servatione & tranquillitate Academiae nostrae, magna cum devotione conjungant. Declarabunt hac ratione egregiam in Ecclesiam pietatem. praeclearum erga Collegium nostrum affectum, singularem erga Doctorandos favorem, & similia officiorum genera nunquam non à nobis expectabunt. P. P. d. 2. Mensis Novembris, Anno repurgatae doctrinae Evangelicae centesimo primo, qui est ab incarnato Verbo M. DC. XVII.

L I P S I Æ, Typis Lambergianis, excudebat Johann Glück.



DECANUS SENIOR ET  
COLLEGIUM FACULTATIS THEO-

1721. F. 1291. 4

Handwritten text in Church Slavonic script, likely a liturgical or administrative document. The text is written in a dense, cursive hand and covers most of the page. There is a significant water stain in the center of the page, obscuring some of the text. The script is characteristic of the 18th-century Russian Church Slavonic.



